

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XXXVIII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

CAPUT XXXVIII.
DE SOLANO.

Solani plures sunt species; inter has Halicacabum, vesicaria, somniferum, Majus & Tuberosum, a liquidum inhiabere videntur. *Mathiol. in lib. 4. cap. 69.* Halicacabum adeo aspidibus inimicum, ut admodum radice ejus propius, alto enecentur sopore. Vesicarium foliis constat oblongis, floribus candidis, è quibus vesicæ prodeunt virides, subrotundæ, sentis secundum longitudinem divisuris, semine intus pullo, orobi magnitudine. In ejus latere humani veluti cordis effigies, albo obsignata colore. Sic formavit Natura, ut ejus affectibus salutare observaremus. *Somniferum* in soporem conjicit gustatum; Testare id suo exemplo Dani. Cum enim Sueno Norvegorum Rex Duncanum Regem Scotiæ in oppido Bertha obsideret, evocato hic Maccabæo consobriino clanculum de deditione agere cepit, commeatu promisso; *Herbor. Boët. l. 12. Scot. hist.* Receptum conditionem Dani, & una commeatum; quem cum degustassent, tam alto oppressi sunt sopore (Solano enim vinum & cerevisia infecta erant) ut à Maccabæo opprimerentur. Decem dona hostium suspecta habentes, sobrii fuere; qui etiam Regem Suenonem veluti exanimem piscaria scapha ad Thai detulere ostia; inde domum Solani majoris radix sicca, si in vino semidrachmæ pondere septem maceretur diebus, ita illud inficit, ut, si quis percolatum biberit, nullo modo edere queat; Cessat affectus, acetum si propinaveris. Copiosius sumptum strangulat. Secretum primus Franciscus Calceolarius Veronensis & invenit, & propalavit. *Mathiol. in lib. 4. cap. cit.* Succus ex acinis hujus expressus, & ad syrupi consistentiam cum saccharo decoctus, ita efficax est, ut vel ligulæ, vel cochlearis parvi mensura somnum inferat, fluxiones sistat, & dysenteriam curet. *Doring. de Opio.* Similis dementationis historiam vide apud *Scalig. Exerc. 154.* Tuberosi tuberosa

rosa est radix, pugni aliquando magnitudine, palmum aliquando longa. Ad caulis exortum, radices fibrosæ plures prodeunt, quæ per terram sparguntur, his primo vere alii exurgunt caules, aliæque tuberosa adnascuntur radices. Tot vero se tuberibus propagat, ut ad unam plantam hyberno tempore erutam ultra quadraginta tubera notarit *Bauhinus ad l. c. cit. Dioscor.*

CAPUT XXXIX.

DE SINAPI, SATYRIO
& Saxifragia majore.

Sinapi Saccaro obductum, vel cum melle pro bellariis appositum, experimentum tutum in defectu ingenii ab humiditate statuitur. *Horst. l. 2. de sanitat. tuend. cap. 1.* Hoc condimento laxatus gurgulio cito contrahitur. Pythagoras proin in honore habuit, quod præter valetudinis conservationem, in alium quoque feratur, & in arcam illam divinæ rationis ac mentis stationem potenter conscendat. Hujus intinctum ex multo confectum, inquit *Pansa theor. spu. de pror. vit. c. 51.* Cunctis literatis præsertim hyemis tempore commendo. Cum totum corpus calefaciat, venulas Mesaraicas aperiat, & deductionem Chyli in epat promoveat. Nihil enim capiti salubrius, quam ventrem laxum sibi que propitium habere. *Satyrión* herba ad rem veneream mirifice pollet, attracta tantum. *Septuageno* compressu definivit in Indo, qui attulerat; duodecimo in aliis. *Theophrastus.* Huic similis est *Cynosorchis*, cujus radix major statuosa surgens materia, Venerem excitat, minor reprimat. *Saxifragia* major in monte Baldo nascitur, ex vivo & durissimo prodiens lapide, & antiquis urbium mœniis, *Mathiol. ad l. 4. cap. 15.* Radix in petris adeo pertinaciter concluditur, ut non nisi mucronatis ferramentis evellatur. Vim habet expellendi calculos. Certe illius potu innumeri ex uno tantum ejecti sunt, fabæ quidam magnitudine.